

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Prixin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 11. De Hymno Ambrosiano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](#)

quenti tanquam historiæ principium , antequam dicantur alia Responsoria. Quòd si totâ in hebdomadâ nulla Feria occurrat, occurrat autem simplex Festum , tum hoc ceden- debet Feriæ , & de eo solùm Commemoratio fieri. Quòd verò nec Simplex per totam hebdomadem occurrat , tum se quenti hebdomade ponenda sunt, nisi in Dominica sint alia Responsoria primò ponenda ; tum enim præcedentis hebdo- madæ prima die Festo duplici non impedita Officium fieri de Feria , & Semiduplex transferri deberet , uti habetur in Ru- brica tit. de Respons. n. 8.

V. Responsoria etiam secundæ Feriæ propria , si propterea Festum occurrens poni non possint in ea Feria , ponuntur in sequenti prima occurrente Feria. Ubi verò non adsunt, ei Nocturnis Dominicæ secundum Ordinem illum , qui in Absolutionibus tenetur, sumuntur juxta n. 7. ejusdem tituli.

VI. Responsorium post octavam Lectionem pro Fratribus Martyribus: *Haec est vera Fraternitas:* non dicitur unquam , nisi verè iij Fratres sint secundum carnem. Quodsi cum Fratribus carnalibus celebrentur alij non Fratres ( uti in Festo SS. Placidi & Sociorum contingit ) non dicitur.

VII. Qui inchoat Responsorium, idem etiam dicit Versum integrum , imò & *Gloria Patri*, par enim est ratio ; ceteri verò de Choro absolvunt Responsorium, & repetunt post Versum , & post *Gloria Patri*. Gavant. c. 13. n. 5. Licet ho- die multi contrarium in privata saltem recitatione faciant- dum, qui inchoat Responsorium, pergit in illo recitando usq; ad versum exclusivè ; & hunc recitat, qui Lectionem dixerat.

## §. XI.

### *De Hymno Ambrosiano.*

I. **D**icitur semper, exceptis Dominicis violaceum colo- rem requirentibus; & Ferijs, in quibus vel violaceus, vel viridis color adhibetur.

II. Potest separari Matutinum à Laudibus licite absque peculiari causa , ( etiam totâ nocte interposita. Gavant. s. 1. c. 6. tit. 9. ) uti rectè Sanch. Bonart. Tann. apud & cum P. Gobat. tr. 5. n. 672. contra Azor docent. An verò & quid post finitum Hymnum Ambrosianum in tali casu adjunger- dum sit, non conveniunt Authores. Gavantus s. 4. c. 3. cum Fran-

Francolino & Navarro putat orationem cum Benedicamus absque Commemorationibus dicendam, & submissâ voce Orationem Dominicam adjungendam; sed negant hoc necessarium esse Sanch. Azor. Bonart. & multi alij apud & curia P. Gobat *l. c.* eò quòd nulla Rubrica illam recitationem præcipiat. Unde poterit quivis in praxi alterutram partem sequi.

## TITULUS II.

## DE LAUDIBUS.

## §. I.

## De initio Laudum.

I. **S**I Laudes separantur à Matutino, dicitur Pater & Ave ad initium illarum; secus verò, si continuantur cum Matutino. Ita Gavantus, Bonart. Tann. Navarr. Francolinus, apud & cum P. Gobat *tr. 5. n. 673.* ubi ait, se nescire ullum, qui hoc neget præter Azor.

II. **D**EVS in Adiutorium semper dicitur, exceptis tribus ultimis diebus Sacræ Hebdomadæ, & Officio Defunctorum.

## §. II.

## De Antiphonis.

I. **I**N Dominicis, Ferijs & Vigilijs Simplicibus sumuntur ex Psalterio; in Festis vero ex Communi Sanctorum, nisi aliæ in proprio de Tempore aut Sanctorum assignentur.

II. In Duplicibus ante & post Psalmos integræ recitantur.

III. Tempore Paschali in Dominicis & Ferijs primi tres Psalmi dicuntur sub una Antiphona. In Festis verò cuilibet Psalmo una Antiphona subjungitur, addito Alleluja, nisi jam antè in illa Antiphona esset additum.

## §. III.

## De Psalmis.

I. **I**N Dominicis sumuntur semper Psalmi Dominicales, excepto tempore à Septuagesima usque ad Pascha, ubi loco primorum duorum Psalmorum dicuntur Psalmi *Miserere & Confitemini.*

II. In omnibus Festis sumuntur Psalmi Dominicales.

III. In Ferijs Psalmus **D**EVS **D**EVS **mous** & **Laudate** semper